Historia Scholarum
Vratislaviense gymnas. Elisabet.

Fechneri Joh: Poculum Circaeum voluptatis.

1647.

C. D.

Poculum Circæum VOLUPTATIS,

QUOD OLIM ULYSSIS COMITES,
UT IN FABULIS HABETUR,
COMMUTAVIT IN
PORCOS;

In Gymnasio Elisabetano
A. D. XVII. Januari
HORIS AB VIII. ANTEMERID.

EX LIB. XIV. METAMORPH.
OVIDI
PROFERENDUM,
ET NONNULLIS DECLAMATIONIBUS
JUVENTUTI SCHOLASTICÆ
PROHIBENDUM,

CURANTE
M. JOHANNE FECHNERO
FREISTAD.

BRESLÆ,
Typis Baumannianis,
Anno A Partu Virginis
cIɔ Iɔ CXLVII.

161.

Lectori Benevolo
Gaudere et bene rem gerere.

Quod benè ſit; melior nos ætheris Hora revisit,
Converſi poſtquam metator temporis Annum
Exegit Veterem Janus, foribusq; recluſis
Jam prodire Novum jusſit plaudentibus aſtris,
Mutatur cœli facies. Rota publica lucis
Curtum nuper iter breviore volumine presſit,
Et Sol Auſtrorum ſtatione moratus in imâ
Arctoas crepero deſpexit lumine terras.
Nunc attrita dies reparat diſpendia lucis,
Siq; parum crevit, debet crevisſe videri.
Nocturnus contra ſpacioſas contrahit umbras
Acclini cedens Phœbo, qui carcere Capri
Emiſit reduces verſo temone caballos,
Et nitidæ Phrygii Ganymedis proximus urnæ
Per bis ſex geſtit ſimulacra redire ferarum.
Has natura vices inſtaurat gnava quotannis,
Spectandamq; novo toties ſe ſchemate præſtat.

Jam

Jàm villoſa capit deformis ſyrmata Brumæ,
Algidulasq; jubet matres accedere ad auras
Fornacis calidas, ac pellere pelle ferinâ
Infeſtum Borean, & querquera frigora Cauri.
Mox poſito ſqualore novo cum Vere per agros
Fert tunicata pedes, & florum pingit elenchis
Hortos, & ſilvas ſtrophio frondente revincit.
Poſt ſuccincta legit Cerealia munera fruges
Veſcas, quas coxit maturis ſolibus Æſtas.
Inde ſtolata ſubit Pomonæ ſepta benignæ,
Carpat ut Auctumni dotes, quas porrigit arbor.
Pronâ fronde. Dehinc altè cincta Lyæi
Vitigenum laticem calcatis exprimit uvis,
Præbibit & paterâ muſtum ſpumante. Laboris
Anniculi tandem fit pauſa Novembribus horis:
Tunc latet & niveo præmunit vellere terram.
Sic alia atq; alia ſpecies eſt labilis Anni,
Exuvias ſenii veteres qui ponere gaudet,
Et nitet abjectâ velut hydra leberide quondam,
Cum caput attollit vernalia prata pererrans.
Sed quamvis renovet formam Natura quotannis,
Induviasq; ſuas Æther & Terra recentent:
Solus homo tamen antiquos non ponit amictus;
Sed ſuus usq; manet coopertus pelle vetuſtâ,
Nec vitiis curat maculoſis figere metam.
Si faciem videas, humana figura polito
Emicat è vultu: Perſonam deme, prehendes

 Intus

Intus fallacem vapido ſub pectore vulpem.
Nulla fides fronti. Cynicâ luſtrare lucernâ
Interiora decet, mentisq; penitral opertæ
Scrutandum, ut noſcas cœco latitare ſub antro,
Monſtrum informe, cui lumen rationis ademtum,
Urbs quævis ſcena eſt, ubi mimus ſpectat agitq;,
Humanâ qui te ſpecie deludit & umbrâ.
Difficile eſt homines caveam reperire per arctam,
Qua ſedet ancipitis fex confertisſima plebis.
Asſidet hîc multus, ceu frugi civis ; At idem
Eſt numerus tantum, & fruges conſumere natus,
Qui pecus ut tacitum vitam traducit inertem.
Hinc ſi deflectas oculos, podiumq; pererres,
Grande ſupercilium cujusdam, & abolla refulgens
Promittunt pectusq; catum cautumq; Catonem:
Aſt hunc ſi penitus ſpectes eſt Porcius excors.
Linque theatralis jàm miſcellanea ludi,
Et mecum pagos & compita publica viſe.
En ibi quot Bruti pasſim veriq; feriq;?
Itur in antiquam vaga per divortia ſilvam,
Et ructat veteres tàm vir, quàm fœmina glandes,
Ut credas homines è duro robore natos,
Aut asſvefactos obſcœnis à ſue factos.
Ex quo nos urget belli furialis Enyo
Trux autor, gremium ſcelerata licentia totum
Pandit, & excludit tot monſtra ſubinde malorum,
Arida quot non dat Libye portenta ferarum,

Ecquan-

Ecquando uberior pœnarum copia? Quænam
Macta tot & tantis claratur ſtragibus ætas?
Ira DEI vindex Germanæ immittit Arenæ
Immanes Apros, rapido qui dente frequentant
Innumeras clades, quales non ſus Erymanthi
Intulit, Alcidæ quem ſtravit clava domitrix.
Amphitheatrales dices crudeſcere pugnas,
Aut fervere trucis diſcrimina ſæva Dianæ,
In quêis monſtra ſuum Meleagri collocat haſta,
In quêis & Marti & Diti cadit hoſtia multa.
Sed jàm Sigalion ſecretam gannit in aurem:
Parce fricare feros dictis mordacibus Apros,
Ne dentes acuant in te. Vis improba fictos
Contemnit Scauros, & caſtigata ferocit.
Parendum certè eſt: Nam præſtat Pythagoræum
Hîc fieri, & pennas volucri præcidere voci.
Verum cum grave ſit pravos non tangere mores,
Et nunquam vitiis genuinum infigere tetris;
Apros ut mittam, non poſſum mittere Porcos.
Nimirum experiar, quid concedatur in illos,
Qui ſimulant Curios, & Aſoti cætera vivunt.
Ergò dum ſalvis licet egrediamur Arenâ,
Et luſtremus Haras, Epicurus quas amat udus.
Circe, ceu retulit nobis cordata vetuſtas,
Miſcuit hoſpitibus dulci medicata veneno
Pocula, quæ ſimul ac traxerunt fauce ſupinâ
Monſtrificâ crines demulſi verbere virgæ,

Protenus humanas visi sunt perdere formas,
Ac Bruta in terram verso procumbere vultu.
Hic Leo nuper-homo deformem pãdit hiatum,
Et terret frustrà fremebundo claustra rugitu.
Iste Lupus sortem multùm indignatus iniquam,
Infelix ululat; nec vocem verba sequuntur,
Horrisonam, infanti quæ secum versat in ore.
Ille Canis Circæ dicturus non bona verba,
Infidæ rictu latratus vibrat inerti.
Mox metuens baculi caudam jactare minanti
Incipit invitam fractâ jàm blandior irâ.
Hæc etiam passi monstra experientis Ulyssis
Sunt Comites, Græco si quicquam credis Homero.
Nam cum Circææ subiissent limina sedis,
Cyclopis crudi quæ multò sævior antro;
Et sacra porrecti libassent pharmaca vini,
Mirantur magicâ contacti tempora virgâ
Leniter horrentes per corpora surgere setas;
Miratur bibulum grunnire Elpenora porcos
Inter Dulichios Circen aggressus Ulysses;
Quem nisi servasset sumturum dulce venenum,
Moly salutiferum, quod præbuit obvius Hermes,
Ipse suum verres auxisset setiger agmen.
Tolle Poetarum nebulas: Damnosa Voluptas
Hæc illa est Circe, quæ mustea pocla propinat,
Ebria quêis Cypris, comissatorq; Lyæus
Cæcas admiscent vires, pestemq; latentem.

Quisquis

Quisquis amas ſanam ſervare in corpore men-
Hæc fuge Luxuriæ pellacis cymbia blanda. (tem,
Nec te decipiat color, aut odor, aut ſapor: acre
Ecce viris virus ſpecioſo vitrea Circe
Præbibit in vitro, fibras quod ſerpit in omnes
Protenus, & circum præcordia concita ſævit.
Hos etenim latices avido qui eduxerit ore,
Et ſemel atq; iterum ſvaves repetiverit hauſtus;
Combibit ille ſimul totâ jam mente furorem,
Ac ſtupet in ſano percusſus pectora thyrſo.
Merſa jacet ratio: Bacchi Venerisq; cataſtâ
Clauſus nuper-homo ſpurcus procumbit humi Sus,
Dejectum pecus in ventrem paſtumq; perennem.
I nunc, & clama delphinum appingere ſilvis,
Et pravè adversâ contraria jungere fronte
Mœonium vatem, Porcos quod fecit inertes
Remigio è bibulo lentè redeuntis Ulysſis.
Adſpice potorem ſodes Elpenora, totum
Qui ſitit œnophorum, crebrisq; trientibus inſtat
Invergens in ſe vinum cervice ſupinâ;
Nec cesſat ſocios magnis urgere culullis,
Et torquere mero, donec ſpumante refundant
Ore gravem Bacchum, aut vino ſomnoq; ſepultos
Efferri jubeat victor, qui victus & ipſe,
Ac madidè madidus ſtellâ ſurgente diurnâ
Surgit, & incedens fuſi per damna Falerni
In terram [tax] procidit ebrius, & jacet offâ

In fœda, per quam revolutus molle quiescit.
Dic jam, quale pecus tibi talis lurco videtur?
Nonne tibi Porcus verusq; merusq; videtur?
Nunc age, ne vapido nobis spurcetur odore
Nasus, sympofium linquamus Harasq; bibonum,
Et, si prolubium est, lauti triclinia Comi
Invisamus, ubi resplendet Apicia mensa,
Quæsitæq; dapes elementa per omnia fulgent.
En sedet Alcinous benè curatâ cute Phæax,
Quid primum capiat dubius. Sic ille refertas
Arctavit patinas, stringatur ut ingluie res
Parta patri quondam, & rapidam condatur in alvum.
Ostrea jàm mordet peregrino littore capta,
Jam lacerat mullum piperato jure natantem,
Jam leporis pulpam, jam clunes lancinat apri,
Perdicisq; latus discindit; dum gula sævit.
Tandem sic fartus congestas respuit escas,
Et ructat pisces precio majore redemtos,
Quam Cincinnati duo jugera Dictatoris.
Hunc igitur laudet Dominum nitidumq; licebit
Plebs sua: Nam pleno sapiunt qui pectore, censent
Esse Suem, qualem jàm plena sagina culinæ
Destinat addictum cædi cultrisq; poparum.
An dubitas? Ventrem domuum agrorumq; capacem
Cerne, & aqualiculum propēso abdomine pingvem;
Et dices: Hic est Epicuri de grege Porcus.
Post Porcum jam nunc, nisi nevis, Laida Porcam

Ibimus inſpectum. Specioſo frontis Elencho
Pellicit hæc captam ſubridens dulce juventam.
Pompa oſtentatrix quoties procedere gaudet,
Effulget facies foliato tincta nitenti,
Et tener inceſſus veſtigia cyclade verrit
Attalicâ, tortisq; caput cumulatur in altum
Cirris, quos auro gemma intertexta recingit.
Augent ſplendorem redimicula, faſcia, peplum,
Fibula, flammeolum, ſtrophium, diadema, monile.
Nec Venus ipſa venuſta ſatis præ Laide pulcrâ,
Ut meritò procerum credatur publica cura.
Nam quid te fingis, mulier? Quid pingis? Ami-
Scilicet ut placeas, limis qui libat ocellis (co
Te dudum cupidus, repetito & ſaucius ictu,
Et nictu blandi vultus, & voce procanti.
Jamq; in fermento jacet, & te pendet ab unâ,
Jam pudor excedit velatus, peccat & illud
Lais, quod clauſo peccat ſub fornice lena,
A quo lux oculos avertit publica teſtes.
Sic procus & porcus parvo diſcrimine diſtant,
Scrofaq; ſic facta eſt cœno demerſa profundo
Lais, quæ lautam fingebat inante Dianam.
Hæc igitur vitent juvenes conchylia, vitent
Circæi potus muſtum, miſtumq; veneno
Luxuriæ villum; niſi malunt perdere mentem,
Et fœdos augere Sues Ithacenſis Ulyſſis.
Difficile eſt, fateor, lepidis indicere bellum

Deliciis. Pubes in molli lubrica flore
Ætatis dextro virtutis calle relicto
Non rarò lævas Circes deflectit ad ædes,
Ac turbæ bacchantis haras: & ſvaviter illic
Interit. Euhodius ſed ſi revocaverit Hermes
Errantem, ſi Moly ſacrum commonſtret eunti;
Tum nil præſtigiæ Circes, cantusq; nocebunt.
Damna Voluptatis notâ jàm callidus arte
Præcavet, ac peſtem jucundam vitat Ulyſſes.
Hoc nos Mercurii monitoris Moly ſalubre
Cras, ita dante DEO, pubi monſtrare paramus;
Scilicet ut ſpreto vitiorum tramite lævo
Per virtutis iter greſſu procedat alacri,
Pythagoræ dextro quò tendit littera cornu.
Nil etenim melius poterit præſtare juventæ
Formator fidus, quam ſi repleverit aures
Fruge Cleantheâ, quæ mores nutrit honeſtos,
Et ſegetem vitiorum in primâ interficit herbâ.
At Vos, ô Patres Patriæ, quos Curia Breslæ
Experta eſt Curios conſummatosq; Catones,
Quos Mecœnates laudat grex Muſicus almos;
Vos, gentis priſcæ quos ſplendida cera celebrat;
Vos, ſacra Theiologæ quos clarat Svada cathedræ;
Vos, conſulta Themis merito quos anget honore;
Vos, ſoſpes populo quos cura probavit Hygææ;
Vos tandem, Pallas quos ingenioſa per artes
Deduxit varias, doctisq; innutriit undis

Clio,

Clio, quos Virtus ſibi ſcripſit in æde Monetæ;
Vos, inquam, auditum vocat officioſa papyrus,
Et ſatagit Vobis ſolitum exorare favorem.
Annuite ſtudiis juvenum tenuiq; labori;
Et, ſi quam Vobis graviora negocia pauſam
Indulgent, ſcholicos inviſite, quæſo, penates,
Ut recreet timidas præſentia veſtra Camenas,
Et reſidi vires addat calcarq; juventæ.
Sed prece quid blandâ Vos palpo? Faventia
His ultrò plaudens ſurrecto pollice ludis (promta
Nunquam Pieridum ſtudiis ſe defore ſpondet.
Par hoſtimentum non expectatis, opinor:
Obſequioſa ſatis, ſatis officioſa voluntas
Pro tanto eſt Vobis ſtudio. Quod poſſumus unum,
Solenni voto numen cœleſte precamur,
Ut fortunatus Vobis hic defluat Annus,
Et referat Pacem, quam dudum poſcimus omnes.

P. P. XVI. Januarl.

Series

SERIES
RERUM ET PERSONARUM.

Audientur hoc in Actu

- *1. Prologus, Benevolentiam Auditorum conciliaturus,* Rudolphus Owdorff.
- *2 Narratores recitaturi*
  - *Fabulam de Circe ex lib. 14. Metam. Ovidi.*
    - Johannes-Joachimus ab Haunold.
    - Matthæus Riedel Vratislaviensis.
    - Daniel Land Vratislaviensis.
  - *Summam Fabulæ ejusdem*
    - *Explicatam,* Christophorus Freywald.
    - *Applicatam,* Ernestus-Ludovic⁹ à Mutschelnitz.
- *2. Declamatores dicturi in*
  - *Prosâ Latinè de*
    - *Vitiis*
      - *Generali, de Voluptate*
        - *Absolutè,* Johannes Justus Vratisl.
        - *Comparatè, quatenus homines commutat in Porcos,* Johannes-Henricus Hiepsch Budisſinus.
      - *Specialibus, de*
        - *Gulâ & Comissationibus* Daniel Francke Vrat.
        - *Ebrietate & Compotationibus* Christianus Titius Javoran⁹. (ger. Aurimont.
        - *Lasciviâ & Amationibus,* Johannes Hillin-Angelomontanus.
    - *Virtute, Prudenti Moderatione in fruendis rebus jucundis* Daniel Vogelius
  - *Vorsâ Germanicè de dictis Vitiis conjunctim,* Carolus Ortlobius Olsnens.
- *4. Epilogus, pro benevolâ auscultatione Auditoribus gratias acturus,* Andreas Teichler Vratisl.